

4 fortiori illa recepta sententia, quod quando maritus ꝑ confiteatur se recepisse dotem, non præsumitur re ipsa facta numeratio, sed quod sit confessus spe futurae numerationis, ut dicemus infra in præsumpt. 12. si ergo non præsumitur facta numeratio marito, qui tamen est confessus, quanto minus præsumitur numerata mulieri, quæ confessæ nil est? Nec hic repugnat, quod Campegius in tract. de dote, par. 5. quæst. 77. motus auctoritate Anch. in consil. 164. scripserit, imò mulierem præsumi dotatam, Idem quoq. respondit Decia. in consil. 49. nu. 4. lib. 2. adductus auctoritate Corni in consil. 282. lib. 1.

Nam respondetur, Ancharanum nil ad rem scripsisse eo in consil. 164. nec in alio, quod hæcenus videre potuerim, etsi vius sim aliqua diligentia in eo perquirèdo. Corni vero in d. consil. 282. num. 6. contrarium respondit, ut etiam supra retuli. Non etiam obstat aliqua, quæ hæc pro opinione à Luca, & à Campegio adducta sunt. Et primo l. vlt. §. si à focero. in fine, ff. quæ in fraudem cre dit. ibi, cum is indotatam vxorem ducitur non fuerit, Et in lapud Celsum. §. sed etsi mulier. & in l. pure. §. si eum. ff. de doli mali except. responsum est, non admitti exceptionem doli contra maritum petètem dotem com præsumptio sit, quod nisi dos data, & promissa ei fuisset, non duxisset illam in vxorem. Nam respondetur præsumptionem quidem esse, quod vir ducitur nō sit vxorem sine dote. Non tamen inde sequitur, quod mulieri nuptæ numerata fuerit dos.

Secundò adducuntur l. si pater. §. 1. & l. si liberis. ff. de pactis dota. Verum nihil ad rem pertinent, cum solum ibi dicatur non valere pactum, quo mulier indotata maneat, atq; præsupponitur dotem iam fuisse promissam, vel numeratam.

Tertiò Campegius argumentatur ab usu, & solitis, quæ argumenti genus receptissimum est. l. certi conditio. §. si nummos. vbi Docto. ff. si cert. petat. Atqui viri consueverunt ducere vxores dotatas. Ergo mulier nupta præsumitur dotata. Ita etiam post Baldum consil. 98. lib. 4. arguit Rota Rom. in decis. 155. in 2. par. in nouis. Ceterum respondetur, licere sic argumentari, viri consueverunt ducere vxores dotatas. Ergo si vir duxit vxorē nulla dotis mentione facta, intelligitur, quod dos ei præstetur. Non autem sic licet ducere argumentum, viri consueverunt ducere vxores dotatas. Ergo præsumitur, quod mulier nupta dotem fuerit consecuta.

Hæc tamen præsumptio tollitur contrarijs coniecturis, quibus constet mulieri nuptæ dotem fuisse numeratam, atque ita illam habuisse dotem. Et ꝑ coniecturas sufficere responderunt Corni in d. consil. 282. nu. 6. lib. 1. & alios recenter Decian. in d. consil. 49. nu. 4. lib. 2. & idem sensit Campegius in d. q. 76.

Prima est coniectura considerata à Campegio in dict. q. 76. quando ꝑ maritus diu præstitit alimenta ipsi vxori. Nam tunc illa præsumitur dotata, alioqui eam non aluisset, sed potius expulisset è domo, iuxta glossam in §. sic itaque. in Auth. de nupt. Ceterum dubia est hæc coniectura, tum quia respicit personam mariti, favore mulieris, non autem respicit personas eorum, qui dotare tenentur mulierem, ad ipsius mulieris odium, & detrimentum. Præterea est dubia, quia affectione maritali præsumitur maritus exhibuisse alimenta vxori, sicuti dicemus infra in præsumpt. 12.

8 Secunda est coniectura, quando ꝑ mulier ipsa decedens condidit testamentum, & dixit se legare dotem suâ Caio. Hoc casu præsumitur dotata. Ita respondit Decia. in d. consil. 49. num. 6. & 7. lib. 2. qui sic consuluit præsumi dotatam in præiudicium mariti, vel hæredum, vt. fili. li. præsumantur dotem recepisse. Id quod durum admodum mihi videtur, cum non adhibeatur fides asserenti ꝑ aliquid in mortis articulo, ad alterius detrimentum. Decian. tamen consultatio suo in casu videtur posse de-

ferri, ob id, quod dixit, hæredes soluisse legata sic restituta, atque ita obseruasse mulieris dispositionem. Præterea coniectura posset procedere, quo ad commodum, & in fauorem eorum, qui dotare tenebantur ipsam mulierem.

Tertia est coniectura, quæ sumitur à verbis enunciationis ꝑ alicuius instrumenti, in quo fiat mentio dotis datæ ipsi mulieri. Nam verba ipsa enunciatiua probant. Ita Bar. in consil. 123. Titius & Seius, num. 2. lib. 1. Dec. in consil. 135. num. 2. Soc. Sen. consil. 158. col. 2. lib. 2. Bal. Nouell. in tract. de dote, par. 7. priuileg. 78. num. 1. & 2. & Ruin. in consil. 34. nu. 5. & in consil. 40. nu. 5. lib. 4. & Rota Rom. in decis. 316. num. 2. in 2. par. in nouissimè impressis, qui asserunt exempli, quando maritus diuidendo bona cum eius fratribus dixit, quod prius dos vxoris extrahatur. Verum hæc coniectura respicit personam mariti ad fauorem dotis. Nos verò loquimur quando agitur, an mulier fuerit ab eius patre, vel fratribus dotata. Prædicta disputatio cessat etiam quando extat statutum, vt Mediolani cap. 283. quo cautum sit, quod non petens dotem in sta. certum tempus, vt puta decennium, sicuti in dict. statuto Mediolani, dotata præsumatur quo ad agnatos, ne cum eis succedat, licet non quo ad dotem vt eam possit adhuc petere, quemadmodum statutum prædictum sic intelligi testatur Carpanus in illius annotationibus. Qui etiam dixit hoc statutum non habere locum, si mulier interim moritur, vt respōderunt Corni in consil. 94. num. 9. lib. 2. & Dec. in consil. 536. & tradit Brun. in tract. Quod statibus masculis. art. 3. quæst. 6. & quæst. 80. & quid in sponsa? Natta in cap. quamuis, num. 101. de pact. in 6.

Dotalia, vel paraphernalia, vel extra dotem, an præsumantur bona illa, quæ mulier promittit, vel tradit marito, cui non dedit, vel iam dedit dotem.

S V M M A R I V M.

- 1 Mulier triplicis generis bona habet.
- 2 Dotalia bona mulieris, quæ sunt.
- 3 Paraphernalia bona mulieris, quæ dicuntur.
- 4 Bona mulieris, extra dotem, quæ sunt.
- 5 Dotalium, & paraphernalium bonorum differentia quatuor.
- 6 Paraphernalia bona, & extra dotem quomodo differant.
- 7 Paraphernalium, & bonorum extra dotem hodie nullam esse differentiam secundum Aretinum.
- 8 Mulier tempore matrimonij vel post, nulla data vel promissa dote, simpliciter bona sua promittens, dotis nomine promississe præsumitur.
- 9 Promissio facta sine causa valet, aliquo contractu precedente.
- 10 Promissio sine causa facta, declaratur ex qualitate personæ, cui facta est.
- 11 Promissio annua facta pauperi sine causa, alimentorum causa facta præsumitur.
- 12 Donatio inter coniuges matrimonio constante prohibetur.
- 13 Mulier ante vel post matrimonium contractum, bona sua suuero marito tradens simpliciter, dotis nomine fecisse præsumitur.
- 14 Idque procedit etiam si bona excedant dotem congruam. numer. 16.
- 15 Vel filijs post matrimonium contractum tradita sint. num. 17.
- 16 Donatio nunquam præsumitur, quando alia causa præsumi potest.
- 17 Mulieri minus damnosum præsumendum est.
- 18 Mulier dote constituta, tradens viro vel ante vel post matrimonium contractum bona nulla expressa causa, tanquam paraphernalia censetur tradidisse.
- 19 Dotis constitutio magis præiudicat mulieri, quam traditio in causam paraphernalem.

Dotis

- 20 Dotis fructus mariti efficiuntur, paraphernalium non sine mulieris voluntate.
- 21 Mulier sui natura anara est.
- 22 Dos constituta in bonis certis, in alijs esse nequit.
- 23 Bona marito tradita post iam constitutam dotem, dotalia quæ censeri, si id aliquibus verbis, vel signis appareat. Idque ꝑ verbis domini translationem significandis, vsa sit. num. 24.
- 24 Vel vsa fuerit vocabulo assignationis, num. 26.
- 25 Idem est de verbo, assigno. num. 27.
- 26 Aut dixerit, se tradere dicta bona, ad vendendum, fruendum & faciendum perpetuo, quidquid voluerit. num. 28.
- 27 Verbum, do, significat domini translationem.
- 28 Paraphernalium bonorum fructus, cur marito concedantur.
- 29 Bona post constitutam dotem marito tradita, dotalia præsumuntur, si verbum supradotis fuerit adhibitum.
- 30 Idem si dos iam data, erat tenuis. num. 32.
- 31 Dicitur, supra, quomodo exponatur.
- 32 Bonorum vxoris traditorum post dotem constitutam, omnes fructus maritus percipiens, tanquam dotalium percipere præsumitur.
- 33 Dotem nullam mulier marito constituens, sed bona quæ nec ipsa tradidit expressè, possideri permittens, & ad libitum disponendi, censetur non vt dotalia, sed paraphernalia concessisse nisi maritus publicè & palam sciente muliere, se vt dotalia possidere asseruerit, num. 36.
- 34 Patientia sola, cum de magno præiudicio agitur, non præsumi, & facit titulum.
- 35 Dotalia quando bona ad esse certo constat, in dubio non paraphernalia, sed extra dotem præsumuntur, nisi dicitur tanquam paraphernalia fuerint administrata, num. 39.
- 36 Paraphernalia vt bona dicantur, quid requiratur.

P R A E S V M P T. VIII.

E Venire sæpè solet, quod mulier promittit, vel tradit ante vel post constitutam, & datam dotem marito, alia bona. Quare dubitari contingit, an illa præsumatur dotis nomine marito promississe, vel tradidisse, vel tanquam paraphernalia, vel extra dotem concessisse. Hic prius sciendum est, mulierem aliquando habere bona ꝑ triplicis generis, hoc est, dotalia, paraphernalia, & extra dotem. Ita glossa in l. vlt. C. de pact. conuent. & alij, quos congesi in consil. 56. num. 2. lib. 1. Et illis accedunt Pract. Papien. in forma libelli, quo vxor agit ad dotem, in verbo, tanquam, num. 1. & Guido Papæ in quæst. 468. col. 2. Dotalia sunt, quæ ꝑ nomine, & causa dotis data, fuerunt ipsi viro, qui constante matrimonio, non modò eorum administrationem, sed & dominium obtinet, l. doce ancillam. C. de rei vend. & in l. in rebus. C. de iur. 3. doti. Paraphernalia ꝑ sunt, quæ mulier ultra dotem in domum viri infert. Et horum dominium verè remanet apud ipsam mulierem, administratio verò est apud maritum, l. si ego. §. dotis. ff. de iure dot. & l. vlt. C. de pact. conuen. & egregiè, vnde dicta sunt paraphernalia, explicat Alc. in lib. 4. parerg. iur. c. 13. & in lib. 1. prætermis. 4. in verb. antidora. Bona verò ꝑ extra dotem dicuntur illa, quæ mulier apud se omninò retinet, nec dominium, nec administrationem viro concedit, vt declarat gl. & Doct. supra commemorati. Inter dotalia, & paraphernalia ꝑ quatuor retuli differentias in d. consil. 56. num. 6.

Prima, quia (vt diximus) dotalium dominium transit in maritum, Paraphernalium non transit.

Secunda, priuilegia doti cõcessa, non sunt paraphernalibus tributa.

Tertia, fructus dotaliū maritus indistinctè lucratur, Paraphernalium verò non semper, vt dicemus in subsequenti præsumptione.

Quarta dotalia regulariter repeti non possunt constanti matrimonio, Paraphernalia verò possunt, solum n.

dicunt maritus habere tacitum mandatum administrationis à muliere, l. vlt. C. de pact. conuent. & dicemus in sequenti præsumpt. quod sanè mandatum ad libitum potest reuocare. Differunt etiam inter se ꝑ paraphernalia, & extra dotem. Nam (vt diximus) paraphernalium custodiam habet maritus, extra dotem verò non habet. Ceterum Aretinus in consil. 159. num. 5. sensit, ꝑ nullam hodie esse differentiam inter paraphernalia, & extra dotem, & Aretinum secutus est nouissimè Thefaurus in decis. 187. nu. 2. sed ab Aretino dissentit Soc. Sen. in consil. 82. num. 19. lib. 4. & cum Soc. sentiunt alij, quos in subsequenti præsumptione commemorabo. His expositis dicendum est, an & quædo bona data à muliere marito præsumantur, vel dotalia, vel paraphernalia, vel extra dotem. Et primum agemus quando est dubium, an sint dotalia, vel paraphernalia. Deinde explicabimus, quando constat non esse data in dotem, an præsumantur paraphernalia, vel extra dotem.

Quod attinet ad primum caput, dum ambigitur, an bona mulieris præsumi debeant dotalia, vel paraphernalia, quæ ab ea promissa, vel tradita fuerint marito, ante vel post constitutam, traditamque dotem. Quo sanè in capite, tres præcipuè casus distinguunt Bald. Nouell. in tract. de dote, in 6. par. priuileg. 14. & Ruin. in Rubr. ff. sol. matr. nu. 186. vers. circa propositam. Ego verò clarioris traditionis gratia, quatuor constituam.

Primum est casus, quædo ꝑ mulier tempore matrimonij, vel post nulla dote data, vel promissa marito, ei promissit bona sua simpliciter, nulla scilicet expressa causa. Hoc sanè casu præsumitur, quod causa dotis bona illa, promiserit. Ita manifestè Bald. Nouel. in d. priuileg. 14. col. 2. vers. 1. casu. & Ruin. in d. rubr. ff. sol. matr. nu. 188. vers. ego autem puto.

Primo affertur text. l. quod autem. ff. de iure dot. cuius verba in bene emédatis codicibus sic leguntur. Quia autem in stipulatione non est necessaria dotis adiectio etiam in datione tantundem ducimus. Ibi patet dationem & promissionem à pari procedere, quemadmodum in datione bonorum facta à muliere marito, causam dotis exprimere necesse nō est, ita nec in promissione, quia satis præsumitur. Nec repugnat consideratio gloss. ibi & Bart. in sua disp. 7. mulier habens amplum, in solut. nu. 1. in si quod iam antea actum fuerat inter partes, de dote constituenda, quia interpretatio hæc diuinat, sicuti animaduertunt Bal. Nouel. & Ruin. præcitatis in locis, qui etiam subiiciunt, aliam interpretationem, quod ibi agatur de promissione dotis restituende mulieri sol. matr. non conuenire literæ text. nec illi titulo.

Secundò suffragatur tex. l. triticum. ff. de verb. oblig. quo probatur secundum Bart. ibi quod promissio ꝑ facta sine causa valet, quando præcessit aliquis contractus, quia præsumitur facta promissio ex illa causa. Atqui hic præcessit contractus matrimonij, quod sui natura requirit, & dotem. Ergo promissio simpliciter facta à muliere præsumitur causa ipsius matrimonij, & sic dotis.

Tertiò confert, quod promissio ꝑ sine causa facta declaratur ex qualitate personæ, cui facta est, sicuti dicimus, quod promissio annua ꝑ facta pauperi, & inopi sine causa, declaratur ex qualitate personæ pauperis, quod. l. causa alimentorum facta fuerit, vt tradunt Bar. in l. Strichum. §. 1. de verb. obl. Bal. in l. antiquitas, num. 6. C. de usufruct. & alios plures congesi in consil. 42. 2. lib. 5.

Atqui nostro in casu, qualitas personæ cui facta est promissio, est ipse maritus, cui dos solet, & debet præstari. Ergo præsumitur causa dotis facta promissio.

Nec obstat, quod hoc in casu videatur facta quædam donatio à muliere marito, quæ ꝑ constante matrimonio prohibetur. Nam respondet Bal. Nouel. præcitato in loco multis modis, quos hic non repetam, ne ex scriptis scripta consciam.

Tomus Primus. T Secundus

13 Secundus est casus, quando mulier ante vel post contractum matrimonium simpliciter, & sic nulla expressa causa, tradidit bona sua futuro marito, cui nullam dotē promiserat. Hoc etiam casu traditio illa præsumitur facta ex causa dotis, ita in specie scripsit Bald. Nouel. in d. priuileg. 14. num. 3. ver. si autem nulla erat dos. Motus primo text. d. l. quod autem, quæ quidem fortius probat hunc casum quam præcedentem.

Secundò ea ratione vsus est Bal. Non. quod quando præsumi potest alia causa, quam donationis, nunquã præsumitur præsumitur donatio. l. si verò non remunerandi. §. idè Pa. pinia. ff. mand. & l. cum aurum. ff. de solut. & latè scripsit in lib. 2. de arbitr. iudic. casu 88. num. 1. At qui hoc in casu præsumi potest alia causa, quam donationis, præsumi enim potest causa dotis. Ergo illa debet præsumi. Ceterum hæc argumentatio non concludit, vt rectè animaduertit Ruin. in d. Rubr. ff. sol. matrim. nu. 190. ver. & per prædicta. Et si enim donatio non præsumitur, vt & nos concedimus, non tamè inde sequitur necessariò, quod præsumatur dos, cum præsumi possint paraphernalia.

Tertiò itaque & melius confert d. l. triticum. arguendo à promissione ad traditionem, iuxta l. vitim. C. ad l. Falcidiam.

Quarò suffragatur, & illud argumentum consideratum supra à Ruin. per traditionem Bar. in d. l. Stichum. §. i. ff. de verb. oblig. Nec obstat quod Bal. in conf. 276. verba statutorum. col. 2. ver. sequitur videre, lib. 3. contrariam opinionem probauerit secundum Ruin. in d. Rub. ff. sol. matr. nu. 190. ver. sed contrarium, qui Bal. ipsum sequitur. Respondit Bal. mulierem præsumi dedisse fructus, non autem proprietatem, quæ videtur concessa ex alia causa (inquit deinde Ruin.) hoc est, vt paraphernalia.

15 Is. Cum præsumendum sit, id quod minus est damnosum mulieri, vt dicemus infra. Quæ sanè ratio nil vrget, quia huic præsumptioni repugnant aliæ supra commemoratæ, & accedit, quod nec præsumi debet cõtra maritum, quod scilicet voluerit ducere vxorem in dotatam.

Extenditur primò hic casus, vt locum etiam habeat, 16 ¶ quando bona essent excessiua, & vltra dotem cõgruã. Ita Bald. Nou. in d. priuileg. 14. nu. 3. ver. si idè etiam.

17 Extenditur scdò, vt locum etiam habeat, quãdo diu post contractum matrimonium tradita fuissent hæc bona. Ita Bald. Nou. d. nu. 3. ver. si autem post matrimonium.

18 Tertius est casus, quando mulier præ vel ante, vel post contractum matrimonium, & dote iam data vel constituta marito, eidem simpliciter, & sic nulla expressa causa tradidit bona sua ipsi marito. Hoc sanè casu præsumitur non causa dotis, sed vt essent bona paraphernalia, tradidisse. Ita gl. 3. l. vlt. C. de pact. conuēt. Azo. in summa. C. de iure dot. col. 1. Bal. in l. nulla, nu. 2. ver. sic breuiter. C. de iure dotium. & in l. vlt. nu. 5. ver. sed nunquid præsumitur. C. de sent. quæ sine cert. quant. Bal. Nouel. in d. priuileg. 14. col. 4. ver. secundus casus principalis. Ruin. in Rub. ff. sol. matr. nu. 190. ver. si verò dos. & in cõfil. 22. nu. in fi. & nu. 6. lib. 1. & Dec. in conf. 151. nu. 10. qui etsi de eadem facti specie responderit aduersus ipsam Ruin. in hoc tamen cum eo conuenit. Idem scripsit Phanuc. in tract. de iure dotis, in gl. 10. num. 47. Et sententiam hanc probat l. si ego. §. dotis, ff. de iure dot. ibi sed quia nõ puto hoc agi inter virum, & vxorem, vt dominium ad eum transferatur. Idem probat l. vitim. C. de pact. conuēt. Et accedit ratio, quia præsumptio institutio maius præiudicium, & detrimentum affert mulieri, quã traditio in causam paraphernalem, cum (vt diximus supra) dotis fructus præsumitur mariti, qui & dominus rei dotalis est, constante matrimonio, paraphernalium verò non sine voluntate mulieris, vt dicemus in subsequenti præsumptione. Non ergo præsumitur, quod mulier, quæ sui natura dicitur auara, vt aliàs diximus, voluerit transferre dominium, atque in dotem constituere.

re. Confert, & ratio, quod dos in certis bonis designata, & constituta, in reliquis esse nequit, arg. l. maritus. C. de procur. & l. stipulationes commodissime. ff. de verb. oblig. & facit regula l. cum prætor. §. i. ff. de iud.

Declaratur hic casus, vt locum non habeat, quando aliquibus ex verbis, & signis colligitur mulierem voluisse etiam hæc bona esse dotalia. Ita probat d. l. si ego. §. dotis. ibi, si sic duntaxat, vt fiant mariti. Et manifestè respondit Ruin. in d. conf. 222. nu. 7. lib. 1. & senserunt alij, quos statim commemorabo. Primum est signum, 24 quando mulier vsa fuit verbis significantibus translationem dominij, vt si dixisset, Do tibi hæc bona mea. Ita in specie docuit Ruin. in d. Rubr. ff. sol. matr. nu. 191. ver. 2. fallit. Nam verbum, do, significat dominij translationem. §. sic itaque, in l. si donatione. num. 38. C. de collat. quando pater dat filio rem aliquam, nõ vt peculium, sed vt donatum, dedisse præsumitur, cum vsus fuit verbo, do. Qua de re dicemus infra in præf. ...

Idem est, quando mulier dixit, quod assignabat bona sua marito. Cum enim hoc verbum, assigno, significet 27 dominij translationem, l. dotis fructus. §. vlt. cum l. seq. ff. de iur. dot. & scripsi supra in 6. præf. in 7. cõiect. sequitur dicendũ, bona præsumi data in dotem. Verum Ruin. in d. conf. 222. nu. 2. & col. vlt. ver. & quamuis, lib. 1. in specie non admittit, quod his verbis dicitur constituta dos. Idem est, quando mulier dixit, quod maritus haberet dicta bona ad vtendum, fruendum, & faciendum perpetuò quicquid placuerit. Ita in specie respondit Ruin. in d. conf. 222. nu. 27. simile est, quod responderunt Grat. in conf. 7. nu. 20. lib. 2. & Paris. in conf. 33. nu. 21. cum dixerunt, patrem censerit donasse filio, non autè in peculium concessisse, quando dixit, ad habendum, tenendum, & quicquid placuerit faciendum, qua de re dicemus infra in d. præsumpt.

Ceterum dissentit in specie nostra Decius in d. conf. 62. 1. nu. 11. ver. vltimo non obstat, qui (vt dixi supra) de eodem facto respondit cõtra Ruin. Inquit enim Dec. prædicta verba, ad vtendum, fruendum, intelligi solum respectu fructuum, & ideo subsequenter verba, & faciendum perpetuò, intelliguntur, id est, donec vixerit. Quæ sanè consideratio non concludit, cum fructus paraphernalium ab initio non cõcedantur marito, vt de eis post 29 sit ad libitum disponere, sed vt præ habeat custodiam, & administrationem, & ea impendat pro communi vsu vxoris, & proprio, vt diximus supra. Et ideo verba hæc magis cõueniunt fructibus dotis, quos ipse maritus suos facit, & ad libitum de eis, dum vivit, disponit. Non hic commemoro alia verba prædictis similia, quibus dominij translatio, & consequenter dotis constitutio significari potest. Multa enim haberi possunt ex his, quæ dicemus infra in præf. 29. ad fin. vbi de re à patre data filio in peculium, vel donata differemus.

Secundum est signum, quod colligitur ex his verbis 30 ¶ pro supradictibus. Nam supradicos dicitur, quoddam dotis augmentum. Ita sensit, & pro absoluto habuit Ruin. in d. conf. 222. nu. 7. lib. 1. Verum de eademmet facti specie interrogatus dissentit Dec. in d. conf. 52. 1. nu. 1. mer. 1. 1. ver. non obstat, quod. Cum dictio, ¶ supra, exponatur, id est, vltra, l. ex conducto. §. si vis tempestatis, ver. sed si labe. ff. locati. & l. diuortio. §. ob donationes, ver. item si locatio. ff. solut. matr. Quæ quidem consideratio nil vrget, quia etiam si exponimus vltra dotem, nõ tamen sit, quin dici possit augmentum dotis, quod est propriè vltra dotem principalem.

Tertium est signum, quando dos ipsa iam data marito esset tenuis, cui si coniungeretur deinde traditum ab ipsa muliere, efficeretur dos cõgrua, & digna illo marito. Ita sensit Bal. in d. l. nulla, nu. 2. in fin. C. de iur. dot. Nec quicquã vrget considerationes Ruin. in Rub. ff. solut. matr.

sol. matr. nu. 191. quia etsi mulier nupta, nõ sit magis obligata ad dotē, quã ad cõsignationē paraphernalium, intelligi potest, quod traditio facta fuerit cã paraphernalium. Nam respondetur, quod cum agatur de interpretanda mulieris dubia voluntate, dicendum est, eam voluisse cã dotis tradere, vt dotem congruam, & viro dignam constitueret, atque id faciat quod iuri, & æquitati conuenit.

33 Quartum est signum, quod maritus præ dote sibi iã cõstituta recipit alia bona ab vxore, & eis vitur percipiendò omnes fructus tã naturales, quam industriales, & illos pro sui voluntate consumpsit, etiam ad propriam suavitatem, sciente & patiente ipsa muliere. Nã tunc præsumitur, quod bona illa, è quibus fructus percipit, fuerint sibi tradita nõ vt paraphernalia, sed vt dotalia. Ita docuit Ruin. in Rubr. ff. sol. matr. nu. 193. ver. tertio limitari. Et motus est Ruin. simili traditione Saliceti in l. filia cuius. C. famil. eccl. & in l. si donatione. C. de collat. cum dixit, quod licet traditum à patre filio, præsumatur in peculium, attamen si diu, vt puta per decennium passus est pater filium percipere, & consumere fructus, præsumitur patrem donasse bona illa. Qua de re copiosius differemus infra in d. præf. ad fi.

34 Quartus est casus, quando mulier nullã dotem viro constituit, vel promittit, sed bona sua, quæ non tradidit marito expressè, passa est ab eo possideri, & de fructibus ad libitum disponi vsque ad eius mortem. Hoc casu nõ præsumitur titulus dotis, sed potius quod concesserit, vt bona paraphernalia. Ita Bart. in d. disput. 7. in solutione nu. 3. Bald. Nouel. in d. priuileg. 14. col. vlt. ver. sic. tertius est casus. & Ruin. in d. Rubr. ff. sol. matr. nu. 195. ver. tertius est casus. Ea ratione moti sunt, quia ex sola patientia, èe 35 si ¶ est diuturna, non oritur præsumptio tituli, quando agitur de magno præiudicio, vt est de amissione dominij, l. nullo. C. de rei vend. & l. diuturna. C. de præf. lóg. tēp. & in sp. idè annotauit Bart. in l. cum de in rem verso. n. 7. ver. si verò tractatur de magno. ff. de vsuris, qua de re differemus infra in præf. 13. 1. nu. 94. vbi explicabimus totã illã traditionē Bar. in d. l. cum de in rem verso. Et hæc quidè opinio retinenda est, etsi Bal. in conf. 100. mulierem maritus, lib. 4. contrarium responderit.

36 Declaratur hic casus, vt locum non habeat, quãdo mulier publicè, & palè sciente muliere asseruit se possidere, & retinere dicta bona, vt dotalia vxoris suæ. Nam tunc dotalia præsumuntur. Ita Bal. Nouel. præcitato in loco post Sal. in l. nulla. C. de iur. dot. Idem sensit Calc. in conf. 1. 1. col. 3. ver. ad est etiam alia.

Secundum caput huius disputationis est quando cõstat bona nõ esse dotalia, quippe quæ nec verè, nec præsumptiue data fuerint in dotem, an modò præsumantur paraphernalia, vel extra dotem. Et dicendum est, in duobus casibus, quibus præsumitur extra dotem. Ita respondit Comen. in cõfil. 104. quæritur nunquid. Est ratio, quia vt dicantur ¶ paraphernalia, requiritur (vt dixi supra) aliquis actus vel traditionis, vel illationis in domum, qui sanè actus non præsumitur, cum sint quid facti, l. in bello. §. facta. ff. de capt. & postlim. reuert. Hæc tamen traditio locum non habet, quando bona ¶ illa diu fuissent administrata tanquam paraphernalia. Ita declarauit Comen. in d. conf. 104. cui multi subscripserunt. Et idem sensit 39 Ias. in l. maritus, in fin. C. de procur.

Fructus bonorum dotalium, paraphernalium, & extra dotem, an & quando præsumatur mulierem ita concessisse marito, vt sic dicatur eos superlucratus?

S V M M A R I V M.

1 Paraphernalium bonorum administratio & custodia, mandata dicitur marito.

Secus in bonis extra dotem, nu. 2.

3 Paraphernalium bonorum, & eorum quæ mulier habet extra dotem, quoad fructuum perceptionem, nulla est differentia.

4 Dotalium bonorum fructus, matrimonio constante, mariti efficiuntur.

5 Vsum fructuum rei mulier dotis nomine tradens, ius vsus fructuum marito concessisse præsumitur, quod soluto matrimonio restituitur.

6 Paraphernalium bonorum fructus, aut extra dotem, si adhuc extant, mulieri vel eius hæredibus sunt restituendi, nec maritus eos lucratur.

7 Paraphernalium bonorum fructus, inuita muliere cõsumens maritus, siue naturales, siue industriales, siue ciuiles sint restituere tenetur. Ratio redditur, nu. 8.

8 Possessor quilibet male fidei omnes fructus, vel eorum estimationem restituere tenetur.

9 Paraphernalium aut bonorum extra dotem, fructus industriales, volente muliere maritus consumens, ad estimationem nõ tenetur. Contraria refertur opinio, nu. 12.

Tertia opinio, quæ distinguit, nu. 15.

10 Vsurarum lucrum in bonis est, & odiosum.

11 Residere, verbum est esse, & firmiter stare.

12 Possessor bonæ fidei quis dicitur.

13 Fructus naturales magni valoris, quando restituat maritus. Et quid de modicis, nu. 17.

14 Fructus qui magni, vel modici valoris sint, arbitratu iudicis.

15 Paraphernalibus in bonis, aut extra dotem, nec cõsentiens, nec contradicens mulier, quoad fructuum perceptionem, & cõsumptionem, tenetur maritus ad restitutionem tam naturalium, quam industrialium.

16 Tacens habetur pro cõsentiente, quando vltra taciturnitatem interuenit aliquis actus positius.

17 Paraphernalium bonorum fructus præsumitur mulier viuere habere voluisse, nullam quando dotem constituit. Idq; præsertim, si maritus diu possederit, nu. 22.

18 Fructus non præsumuntur consumpti, sed adhuc extare.

19 Res quamuis mobilis extare præsumitur, nisi probetur amissa.

20 Fructus quando extare, vel consumpti præsumantur, iudicis arbitrio tribuendum.

21 Fructus qui, & quot percepti sint coniecturis probari posse.

P R A E S V M P T. IX.

Explicauimus superiore præsumptione, quæ dicitur bona dotalia, quæ paraphernalia, & demum quæ extra dotem, & quando præsumantur talia. Nunc differendum est de eorum fructibus, an scilicet & quando præsumantur acquisiti, & facti ipsius mariti. Priusquam tamen hoc explicem repetendum est hic vnum, quod paucis exposui superiore præsumptione, bona scilicet paraphernalia in eo videri differere à bonis, quæ dicuntur extra dotem, quod bonorum ¶ paraphernalium custodia, & administratio mandata dicitur marito l. vlt. C. de pact. conuen. & manifestè responderunt Ruin. in conf. 222. n. 2. lib. 1. & Dec. in conf. 52. 1. n. 1. qui ambo de eadem facti specie rãderunt. Cum enim mulier illa marito tradidit, vel in domum infert, dicitur committere, & mandare custodiam ipsi marito. Ita Bald. in l. ult. nu. 5. C. de sentent. quæ sine cert. quant. Bonorum ¶ verò extra dotem custodiam, & administrationem non habet maritus, sed sola mulier, quæ bona illa non tradidit marito nec in domum intulit, vt declarat Bald. præcit. in loco. Et idem respondit Com. in conf. 104. quæritur nõquid, in prin. cui alij multi Doct. subscripserunt.

Ceterum Franc. Aret. in conf. 159. nu. 5. sensit nullam hodie esse differentiam inter bona paraphernalia, & extra dotem, cum generalis esse videatur consuetudo, quod mulieres bonorum quorumcumque suorum administrationem, & custodiam permittant maritis. Dissentit ab Aret. Soc. Sen. in conf. 82. nu. 19. lib. 1. qui respondit,

Tomus Primus, T 2 spondit,

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS TORONTO